

Articulus III.

Ad querelam Domini Praelati Zagrabiensis, pro denegatis sibi Ecclesiae suae Decimis, statutum est: Vt omnes Domini Magnates et Nobiles Decimas ipsas haud gravanter connumerari permittant et Decimatoribus sint auxilio.

Articulus IV.

Quod nero ad fixos et Indigenas malefactores Nobiles possessionatos et Ignobiles attinet, utpote fures, praedones, homicidas, raptores, publice audentes minari neces, verberatores et oppressores Nobilitatis, combustores et similium enormium facinorum patratores, item Intoxicatores, meretrices, adulteros et Strigas, eorumque receptatores, conseruatores et fautores: Domini Vice-Banus et Vice-Comes Varasdiensis eos ex officio citent, et Iuridice conuictos, iuxta Articulos Regni, breui Juris processu, poena condigna puniant. Vagabundi autem et impossessionati Nobiles, similis criminis, per eosdem capiantur, itidemque poena condigna puniantur. Et singulis annis faciant inquisitiones de huiusmodi malefactoribus Domini Vice-Banus et Vice-Comes Varasdiensis. Qui autem Iuridice iam proscripti et conuicti sunt, eosdem etiam iidem persequantur et capiant, debita poena afficiendo.

Articulus V.

Nobiles autem unius sessionis universi campi Zagrabiensis seu Turopoliensis, ut in universis antiquis ac modernis eorum legitimis Juribus, Immunitatibus, Priuilegiis, libertatibus et exemptionibus, ab praeclara in Patriam merita, adinstar caeterorum Regni Nobilium semper conseruentur, statutum est.

Articulus VI.

Confirmatur Articulus, de locis depositionum aeditus, ita, ut quicunque extra loca depositionum mel et porcos maiales extra Regnum educens repertus fuerit, priuatur eisdem per quoscunque priuari poterit; quod si tamen aliquis Regnicolarum cum extraneo aliquo mercatore conuenerit, et in loco depositionis sese praesentauerit, liceat praescriptas res uenales extra Regnum educere, ita tamen, ut post praesentationem in loco depositionis rerum venalium, suae Maiestati Tricesimam, et Telonii tributum Dominis Terrestribus, emptor soluere teneatur.

Articulus VII.

Idem Reverendissimus Episcopus, protestando solenniter, admonuit Praediales Nobiles Abbatiae suae de Topuzka, ut Curias suas Nobilitares ibidem et Domos Colonicales desertas reaedificent et restaurent. Ideo Reverendissimus Episcopus alioquin requisitam et possibilem restaurationem omittentes ac negligentes, praemissa debita et legitima admonitione, contra tales iuxta Leges et receptas consuetudines procedat.

Articulus VIII.

Praeterea vniversi Status et Ordines Regni unanimi voto statuunt ac decernunt: vt deinceps Vice-Comites, ratione quorumuis liquidorum debitorum,